INDEX LECTIONUM

QUAE AUSPICIIS

AUGUSTISSIMI AC POTENTISSIMI PRINCIPIS

GUILELMI II

GERMANORUM IMPERATORIS BORUSSORUM REGIS

IN

ACADEMIA

THEOLOGICA ET PHILOSOPHICA MONASTERIENSI

PER MENSES HIBERNOS A. MDCCCXCI—II

INDE A DIE XV MENSIS OCTOBRIS

PUBLICE PRIVATIMQUE HABEBUNTUR.

PRAEFATUS EST I. M. STAHL DE PINDARI CARMINE PYTHICO PRIMO.

MONASTERII GUESTFALORUM.

EX TYPOGRAPHIA ACADEMICA COPPENRATHIANA.

AUCTORITATE

RECTORIS ET SENATUS

CIVIBUS S. D.

IOANNES MATTHIAS STAHL,

LITTERARUM GRAECARUM PROF. P. O.

Ex Pindari carminibus vix ullum est cuius de universo argumento et singulorum locorum et inter se et cum hoc conexu plures dissensiones ortae sint quam in Pythico primo factum esse videmus. Quae interpretum discrepantia mihi inde videtur potissimum repetenda esse quod ipsius poëtae verba non ab omni parte tam presse quam oportet secuti sunt, sed licentius exspatiati ipsi sibi cogitando effinxerunt quae poëtae menti supponerent quibusque laxam sententiarum eius iuncturam tanquam adstringere studerent. Sed quo magis reconditae sunt atque disiunctae Pindari sententiae, eo intentius cavendum est ne nostris rationibus eas accommodantes aliena atque ab eius mente diversa ei tribuamus. Nolo tamen varias de hoc carmine opiniones perstringere et quantum quisque eorum qui in eo enarrando versati sunt ab ipsius poëtae dictis desciverit singillatim persequi (hoc enim longiorem postularet disputationem), sed satis habebo breviter exponere quid ego de eius argumento et sententiarum ordine existimem. Hoc enim sufficit ad eam viam demonstrandam quae in hoc quaestionum genere mihi videtur ineunda esse, et cum evitare studebo ne aliena poëtae verbis inferam, quid in aliorum enarrationibus mihi iustum interpretationis modum excedere videatur sponte iis apparebit qui illarum cognitionem habent.

Primum igitur hoc animadvertendum est, principalem uniuscuiusque carminis epinicii sententiam in victoris laudibus, quibus, si placet, commode vota vel preces

pro futura eius salute vel felicitate conceptae adduntur, versari debere aut saltem cum illis intima quadam necessitudine coniunctam esse. Non aliter res se habet in hoc carmine, cuius media eaque principalis pars tota victoris laudibus et adiunctis optationibus ac precibus continetur. Tres enim sunt huius carminis partes, quarum prima (1—28), quae pro exordio haberi potest, vim ac potentiam artis musicae poëta celebrat, altera (29—80) victoris res gestas laudat eumque faustis ominibus prosequitur, tertia, qua conclusionem facit, virtutes illi commendat quibus famam rebus gestis partam conservaturus sit[1]. Aptissime igitur inter se cohaerent secunda et tertia pars, quippe quarum summa sit praedicatio victoris cum admonitione coniuncta et ad gloriam ab eo comparatam et conservandam tota pertineat. Laxiore vinculo cum reliquo carmine conexa est prima pars, quippe cuius sententia generalior sit et quae cuivis fere laudationi poëticae praemitti possit. Attamen ne haec quidem proprio quodam momento caret quo principali carminis sententiae applicetur. Quid enim convenientius erat quam musicae artis vim coram eo celebrare qui insignem poëtarum fautorem et patronum se praeberet atque hoc patrocinio regno suo decus et ornamentum addere studeret? Deinde vero in fine huius partis poëta Typhoei et Aetnae montis eruptionis commemoratione commodum transitum sibi parat ad caput laudationis quae insequitur, Aetnam urbem ab Hierone sub eius montis radicibus recens conditam. Validissima omnia in hoc exordio poëta dicit arte musica deleniri praeter ea quae Iovi invisa sint; haec enim illam aversari ac reformidare. Hoc posterius Typhoei exemplo illustrat sub Aetna monte prostrati et inde fumum saxa igneosque amnes evomentis. Splendida autem quam hic profert descriptione respicit Aetnae eruptionem brevi ante factam, quae animos spectantium et audientium maximo stupore affecerat cuiusque etiam Aeschylus in Prometheo mentionem iniecit, eaque propius ad res sui temporis et Siciliae accedit eamque ipsam quam maxime hoc carmine celebraturus est. Hiero enim Delphis in renuntianda victoria Aetnaeum

---

[1] Valde abhorreo ab arbitrariis eorum rationibus qui Pindari carmina et Aeschyli cantica in nomi Terpandrei partitionem cogunt, quorum in Aeschylo conatum nuper sobrio atque intellegenti iudicio refutavit Alfredus Dippeus de canticorum Aeschyleorum compositione disputans in archigymnasii Susatensis progr. a. 1886. Cf. quae idem postea de omni hoc commento exposuit in diario hebdomad. philol. (Wochenschr. für klass. Philol.) a. 1888 p. 1018 sqq. 1050 sqq. 1082 sqq. 1114 sqq.

se appellari iusserat, quae causa fuit poëtae cur eum Aetnae urbis conditorem praecipue praedicaret, sed ita ut cum hac laude reliquarum rerum ab eo praeclare gestarum commemorationem apte coniungeret. Videamus igitur quomodo hanc praedicationem in altera carminis parte Pindarus instituerit. Initium facit exoptando ut Iovi placere liceat Aetnam montem administranti. Aetna autem sub Iovis regimine est quod Typhoeum ibi perdomuit (Ol. IV 6 sq.), et idcirco etiam Aetnaeus alibi a poëta Iuppiter appellatur (Ol. VI 96. Nem. I 6). Eiusdem Aetnaei Iovis sacerdotio ipse Hiero inde ab Aetna condita fungebatur (cf. Ol. VI 96 ibique Boeckh.). Quid igitur magis conveniebat poëtae consilio quam, cum Hieronem Aetnae conditorem celebraturus esset, Iovis Aetnaei favorem sibi et choro implorare, cuius sub tutela cum monte urbs esset sub eius radicibus collocata cuiusque sacerdos ipse Hiero esse voluisset? Hoc enim urbi et monti commune est quod utrique Iuppiter Aetnaeus patrocinatur. Haec igitur primae et secundae partis est cohaerentia significata verbis *ὃς τοῦτ᾽ ἐφέπεις ὄρος,* praeter quae alia quae illarum coniunctionem perspicue indicent non inveniuntur. Pergit poëta dicens inclitum conditorem urbem Aetnae monti cognominem et vicinam illustravisse victoria Pythica, quam proclamans praeco illam renuntiaverit; eam victoriam urbi faustum omen esse futurae prosperitatis, quam ut sibi cordi esse velit Apollinem orat, in cuius honorem Hiero certamini interfuit. A victoria deinde transit ad victorem, de quo se ita dicturum esse confidit ut rerum summam plane assequatur et aemulos longe superet. Optat igitur ut praesens felicitas atque opulentia regi permaneat laborumque oblivionem afferat, in eoque commemorat honorem quem rebus bello fortiter gestis ille sibi comparaverit, praecipue efferens gloriosam expeditionem quam nuper a Cumanis auxilio vocatus susceperit; tota hac fortuna ut rex futuro quoque tempore fruatur ei in votis est. Iam vero ad Aetnam urbem redit pro quadrigalis victoriae praemio cantaturus quae Dinomeni, quem filium Hiero huic urbi praefecerat, imprimis grata sint. Quod igitur urbs legibus et institutis Doricis, quae Spartani constanter adhuc servent, constituta sit, Iovem eius praesidem implorat ut et ipsa eiusdem atque illi sortis particeps in his legibus et institutis permaneat et inde veram apud homines famam habeat; ita dei auxilio eventurum esse ut rex, cuius sub imperio Dinomenes urbem administret, populum summa observantia colens ad concordem tranquillitatem perducat. Hoc Iovem precatur ut adnuat, ne denuo bellum moveant Carthaginienses et Etrusci, sed cladium memores sint quas pugnis apud Cumam et Himeram factis acceperint, quarum alteram

praecipue effert aequiparans eam Salaminiae et Plataeensi. Bipartita igitur est altera carminis pars: primum (29—57) poëta Aetnam urbem celebrat ex curuli Hieronis victoria magno honore ornatam et fausto omine auspicatam ipsumque regem omnem quam rebus gestis adeptus sit felicitatem retinere cupit; deinde (58—80) ad Aetnam urbem reversus ut legitimum statum conservet precatur, unde civium quieta concordia exsistat et hostium impetus arceantur. Utrobique deus pro urbis salute invocatur: priore loco Apollo, posteriore Iuppiter; utrobique, postquam de urbe dictum est, commemorantur victoriae ab hostibus reportatae: priore loco praecipue Cumana, altero praeter hanc Himerensis. Tertia pars, quae sequitur, cum secunda hoc modo coniuncta est. Cum antea (72—80) poëta victorias apud Cumam et Himeram ex hostibus relatas summis laudibus extulerit, iam se quodammodo revocat a longiore laudatione, dicens eum maxime hominum vituperationem effugere qui in praedicando modum teneat multarum rerum capita, ne taedium moveat, summatim comprehendens; facillime enim homines gravari audientes praeclara facinora aliorum. Sed hanc hominum invidiam non ita esse fugiendam ut honesta praetermittantur. Ita transitus fit ad id quod caput est tertiae partis. Postquam enim regem poëta hortatus est ne propter hominum invidiam honesta praetermittat, ex virtutibus nominatim ei commendat iustitiam veritatem liberalitatem eumque admonet ut a callida fraude et quaestus cupiditate animum abstineat; hoc enim modo bonam apud posteros comparari famam, quae sola hominum defunctorum vitam rerum scriptoribus et poëtis celebrandam tradat, ut Croesi et contrario Phalaridis exemplo demonstratur. Qui autem cum felicitate bonam famam coniunxerit, eum summum tulisse praemium. Hanc igitur apparet huius partis cum superiore esse cohaerentiam ut poeta, postquam de rerum ab Hierone gestarum prospero eventu antea dixit, iam adiungat quomodo huic felicitati bonam apud posteros famam ille additurus sit, eumque conexum apertissime ostendunt postrema verba:

τὸ δὲ παθεῖν εὖ πρῶτον ἀέθλων, εὖ δ' ἀκούειν δευτέρα μοῖρ'· ἀμφοτέροισι δ' ἀνὴρ
ὃς ἂν ἐγκύρσῃ καὶ ἕλῃ, στέφανον ὕψιστον δέδεκται.

Adhortatione autem illa non tecte reprehendere Hieronem tanquam ad iniustitiam fraudulentiam illiberalitatem inclinantem Pindaro in animo est (id enim si rex sensisset, hoc carmine magis offensus quam delectatus esset), sed commendat ei virtutes regiae dignitati maxime proprias et quae omnem principem imprimis deceant.

Postquam de carminis argumento et sententiarum ordine et coniunctione exposui, de aliquot eius locis meam proponere volo sententiam de quibus emendandis vel explicandis non satis videtur constare.

Ad v. 10 sqq. *καὶ γὰρ βιατὰς Ἄρης τραχεῖαν ἄνευθε λιπὼν*
ἐγχέων ἀκμὰν ἰαίνει καρδίαν
κώματι, κῆλα δὲ καὶ δαιμόνων θέλγει φρένας, ἀμφί τε Λατοίδα σοφίᾳ
βαθυκόλπων τε Μοισᾶν

haec adnotat Bergkius: 'nescio an verba traicienda sint *κῆλα δὲ κώματι*; nam *ἰαίνει καρδίαν* iungendum cum verbis *ἀμφί τε κ. τ. λ.*' Sed nihil huic iuncturae obstat, si *κῆλα δὲ .... φρένας* in parenthesim redegimus. Cf. Ol. VIII 28 sq. Pyth. X 45. Nem. IV 66.

In v. 34 sq. *ἐοικότα γὰρ*
κἀν τελευτᾷ φερτέρου νόστου τυχεῖν

offensioni est nudus dativus *τελευτᾷ*. Nam exceptis feriarum nominibus et paucis substantivis in quibus ipsis temporis notio inest, velut *νυκτί, καιρῷ,* dativus hoc modo ita tantum usurpatur si substantivo attributum aliquod additum est. Cf. Krueg. Gram. § 48, 2 adn. 6 et 7. Synt. poët. et dial. § 48, 2 adn. 8. Kuehn. Gram. max. § 426, 2 adn. 4 Nihil autem ad rescribendum facilius quam quod Moschopulus iam restituit *κἀν τελευτᾷ*. Cf. *ἐν καὶ τελευτᾷ* Ol. VII 26. Paulo enim longius a traditis verbis distat Boeckhii emendatio *καὶ τελευτὰν φερτέραν* (plerique codd. *φερτέρᾳ*). Nec meliora alii protulerunt. De nudo infinitivo aoristi post *ἐοικότα* sequente cf. quae dixi in Quaestt. gram. ad Thuc. pertinentium p. 7.

V. 46 sqq. *εἰ γὰρ ὁ πᾶς χρόνος ὄλβον μὲν οὕτω καὶ κτεάνων δόσιν*
εὐθύνοι, καμάτων δ' ἐπίλασιν παράσχοι.
ἦ κεν ἀμνάσειεν οἵαις ἐν πολέμοισι μάχαις
τλάμονι ψυχᾷ παρέμειν', ἁνίχ' εὑρίσκοντο θεῶν παλάμαις τιμὰν
οἵαν οὔτις Ἑλλάνων δρέπει,
πλούτου στεφάνωμ' ἀγέρωχον.

Consentiunt *εἰ γάρ* hoc loco in initio optationis positum esse, quoniam aliter *γάρ* explicationem non habet, et *καμάτων δ' ἐπίλασιν παράσχοι* eo referunt quod Hiero calculo laborabat. Ita iam scholiasta interpretatus est, apud quem haec leguntur: *τὸ εἰ τοῦτο νῦν εὐκτικόν ἐστιν ἀντὶ τοῦ εἴθε .... καμάτων φησὶ τῶν συνεχόντων τὸν Ἱέρωνα ἐκ τοῦ νοσήματος τῆς λιθουρίας. φησὶ γάρ που καὶ Ἀριστοτέλης*

ἐν τῇ τῶν Γελῴων πολιτείᾳ Γέλωνα τὸν τοῦ Ἱέρωνος ἀδελφὸν ὑδέρῳ νοσήματι τὸν βίον τελευτῆσαι, αὐτὸν δὲ τὸν Ἱέρωνα, ἐν τῇ τῶν Συρακοσίων πολιτείᾳ, δυσουρίᾳ δυστυχῆσαι. Sed parum distincte sic poëta καμάτων vocabulo usus esset, quod in universum labores significat, cum praeterea ne levissimo quidem indicio hoc loco morbus designetur neque in toto carmine eius alibi fiat mentio. Aliter enim se habet Nem. VIII 49 sq. ἐπαοιδαῖς δ' ἀνὴρ νώδυνον καί τις κάματον θῆκεν, ubi ἐπαοιδαῖς et νώδυνον satis indicant de valetudine morbo vel vulnere afflicta sermonem esse. Et quanto clarius poëta rem in v. 62—80 carminis Pythici tertii significavit, quo regem gravius aegrotantem consolatus est. Sed aliud accedit, quod etiam gravius est. Nonne etiam belli labores, qui deinde commemorantur, κάματοι sunt? Eorum tamen recordatio, non oblivio regi ostentatur. Et qua tandem ratione belli laborum recordatio cohaeret cum bonorum conservatione et morbi dolorum oblivione? Itane vero si opes rex futuro tempore conservabit, reminiscetur laborum quos in bellis perpessus est? Quid, si non conservabit? Num obliviscetur eorum? Ut sententia constaret, saltem dicendum erat tum iucundam fore regi praeteritorum belli laborum memoriam. At enim hoc ipsum non dicitur. Verum praeter illud pro condicione ad ἦ κεν ἀμνάσειεν κ. τ. λ. cogitandum est εἰ καμάτων· ἐπίλασιν παράσχοι. Sed cur regi, si morbi dolorum oblitus sit, belli quos olim sustinuit labores in memoriam redituri sint nequaquam perspicitur. Equidem non video quomodo sententiae inter se conveniant, si, id quod necessarium est, ad ἦ κεν ἀμνάσειεν κ. τ. λ. praegressa optatio pro condicione repetatur. Nam a traditis verbis prorsus aberrat Disseni interpretatio, qui suaviter moneri regem vult ut morbi etiam labores τλάμονι ψυχᾷ ferat et quantum fieri possit obliviscatur maiorum et illustrium laborum memoria. Ita enim sic erat dicendum: 'morbi dolorum oblivionem tempus tibi afferat reminiscenti quot antehac in bellis labores cum patientia sustuleris', non sic ut nunc legimus: 'tempus tibi morbi dolorum oblivionem afferat; tum profecto in memoriam tibi revocabit belli labores patienter toleratos'. Nempe ex Disseni ratione dolorum oblivio sequitur belli laborum recordationem; ut scriptum legimus contra haec illam sequitur. Neque, ut Hartungius, si quidem ex eius translatione concludere licet, intellexisse videtur, etiam ἦ κεν ἀμνάσειε pro optatione esse potest; nam neque optativus cum ἄν vel κέν neque particula affirmativa ἦ usquam optationi exprimendae adhibetur; alius enim est optativus secundae personae cum ἄν qui leniter adhortantis est (cf. Kuehn. l. l. § 396, 4). Et ne sic quidem quomodo

haec optatio cum superiore cohaereret satis intellegeretur aut quid ipsa sibi vellet. Nonne enim per se melius est laborum praeteritorum oblivisci quam reminisci? Ac profecto felicitas, cuius perpetuam conservationem regi poëta optat, ad eos potius obliviscendos quam in memoriam revocandos conferre solet. Ipse quidem Pindarus similiter in Ol. II 18 sqq. prioris calamitatis oblivionem secunda fortuna exsistere dicit his verbis:

λάθα δὲ πότμῳ σὺν εὐδαίμονι γένοιτ᾽ ἄν.
ἐσλῶν γὰρ ὑπὸ χαρμάτων πῆμα θνάσκει
παλίγκοτον δαμασθέν,
ὅταν θεοῦ μοῖρα πέμψῃ
ἀνεκὰς ὄλβον ὑψηλόν.

Quae cum ita sint, sententiarum convenientia ac consensus mihi restitui videtur, si leni facta mutatione scribamus *καμάτων δ᾽ ἐπίλασιν παρασχὼν — μηκέτ᾽ ἀμνάσειεν κ. τ. λ.* Quo facto poëta optat ut omne quod instat tempus felicitatem et opes regi sustentet (nam *εὐθύνειν* hic idem fere valet quod *ὀρθοῦν* Isthm. IV 43 et *ὀρθωτῆρα πέλειν* infra in .. 56) et exantlatos labores in oblivionem adducens non iam in memoriam ei revocet qualibus in pugnis toleranti animo perseveraverit, i. e. eum oblivisci sinat quantos in bello labores toleraverit, ut illas sibi compararet. Praeterea cum Bergkio *οἵαις ἐν πολέμοιο μάχαις* scribendum est. Nam *παραμένειν τινί,* nisi instrumentalis est dativus, quomodo Pyth. VIII 40 *παρμένοντας αἰχμᾷ* dicitur, 'perdurare apud aliquem' sive 'nulla in re eum deserere' sonat, et cum eodem sensu quem hic desideramus infra in v. 89 *ἐν ὀργᾷ παρμένων* legitur. In sequentibus *εὑρίσκοντο* ad Hieronem et fratres eius referunt, quorum tamen in anterioribus nullum est indicium. Quare probandus est optativus generalis *εὑρίσκοιτο,* ut in uno codice Thomano scriptum est et Triclinius correxit. In initio optationis *οὕτω* parum recte interpretatus est scholiasta *ὡς ἐγὼ τοὺς ἐναντίους νικῆσαι προσδοκῶ*, quasi vero poëta regis felicitatem tam certam esse velit quam suam exspectationem. Quod ab hoc loco alienum esse puto. Nam id ipsum iam poëta dicit quo se adversarios superaturum esse (*ἀμεύσεσθ᾽* scribendum est) sperat. Cogitandum potius est *οὕτω ὡς ἔστιν,* de quo usu cf. Soph. OR. 256. 1427. OC. 1279. Ant. 315. Propter optationem quae verbis de quibus egimus continetur *αἰνῆσαι* in v. 43 non 'laudare' significat, ut plerumque interpretantur, sed in universum 'de aliquo dicere' (cf. Aeschyl. Ag. 1482); nam sequitur optatio cum laudatione mixta.

Pergit Pindarus his verbis v. 50 sqq.:

νῦν γε μὰν τὰν Φιλοκτήταο δίκαν ἐφέπων
ἐστρατεύθη· σὺν δ' ἀνάγκᾳ μιν φίλον
καί τις ἐὼν μεγαλάνωρ ἔσανεν. φάντι δὲ Λαμνόθεν ἕλκει τειρόμενον
μεταλλάσσοντας ἐλθεῖν
ἥρωας ἀντιθέους Ποίαντος υἱὸν τοξόταν.

Ita in libris mss. traditum accepimus praeterquam quod in parte eorum *μεταλλάσοντας* vel *μεταλάσσοντας* exstat. Accusativus *μιν* Pindaro abiudicandus est; sed facillime rescriberetur *νιν*, si ita convenientem nancisceremur sententiam. Quod negandum est. Nam de Philecteta ita *σὺν δ' ἀνάγκᾳ . . . ἔσανεν* dicta esse nequeunt, quoniam is non amicus erat Atridis, qui eum per Ulixem et Neoptolemum arcessebant. Itaque Boeckhius auctor fuit ut ad Cumanos ea referrent. Sed sic minus aptum est pronomen indefinitum, nisi, quod sane licet, generaliorem esse putamus sententiam et simul etiam ad alios spectare qui Hieroni blanditi sint eius auxilium implorantes; deinde vero, id quod gravissimum est, sic prorsus interrumpitur comparatio cum Philocteta instituta, neque hoc incommodum, ut Boeckhius opinatur, satis eo reparatur quod in sequentibus Philoctetae nomen repetitur vocibus *Ποίαντος υἱόν*. Nihil vero proficitur Hermanni mutatione *σὺν δ' ἀναγκαίᾳ*, licet exempla ex Homero Tyrtaeo aliisque poëtis vetustioribus allata sufficiant ad eius nominis usum Pindaro quoque attribuendum. Nam ne comparatio interpelletur, generalis quae sic exsistit sententia et ipsa ad Philoctetam potissimum spectare debet, qui Atridis non amicus, sed infensus fuit. Repudiatis igitur Boeckhii et Hermanni rationibus Mommsenus ex scholiis scripturam *σὺν δ' ἀνάγκᾳ νιν νόσου* assumpsit. Legimus enim ad hunc versum haec in iis adnotata: *σὺν δὲ τῇ ἀνάγκῃ τῆς νόσου καί τις ὑπερήφανος ἔσανε καὶ ἐκολάκευσεν αὐτόν, τὸν Ἱέρωνα δηλονότι. βούλεται δὲ λέγειν ὅτι καὶ νοσοῦντα αὐτὸν πολλοὶ τῶν ὑπερηφάνων ἐκολάκευσαν.* Sed praeterquam quod ex hac interpretatione comparatio cum Philocteta non minus disturbatur, prorsus inepte *νιν νόσου* redditur verbis *καὶ νοσοῦντα αὐτόν*, et quid morbo Hieronis cum blandis precibus commune sit quibus auxilium ab eo petiverunt nequaquam perspicitur. Denique cogitari vix potest quomodo factum sit ut *νόσου* in *φίλον* mutaretur. Sane dubium esse nequit quin illius scholii auctor *νόσου* in suo libro invenerit; sed hoc interpretandi causa olim ad *σὺν δ' ἀνάγκᾳ* adscriptum erat a lectore qui hoc ad proximum *μιν φίλον* spectare opinatus de Philocteta morbi necessitate conflictante

cogitabat, et deinde in poëtae verba illatum genuinum vocabulum φίλον sede moverat. Eidem autem interpreti qui ad insiticiam scripturam νόσου scholion modo allatum adscripsit rem in Hieronem detorquens proclive erat etiam supra, cum legeret καμάτων δ' ἐπίλασιν παράσχοι, de morbo Hieronis cogitare. Ex communi igitur origine utrobique eius error prodiit. Cum igitur generalis sententia (nam aoristus ἔσανεν empiricus est) propter comparationis continuitatem ad Philoctetam praecipue spectare debeat, is autem Atridis, qui eum arcessebant, inimicus fuerit, plane necessaria est Rauchensteinii emendatio σὺν δ' ἀνάγκα μὴ φίλον, quam merito Bergkius inter poëtae verba recepit. Pariter in aliquot libris μιν (reliqui νιν vel μὴν) pro μὴ traditum est in Ol. III 45, ubi optime idem Bergkius οὐ μὴ διώξω scripsit. Comprobata autem Rauchensteinii emendatione, ut comparatio ab omni parte conveniat, statuendum est aliquando etiam inter Hieronem et Cumanos simultatem exstitisse, antequam hi ab Etruscis in angustias adducti illius auxilium implorare cogerentur. De ope autem quam Cumanis Hiero tulerit hoc loco agere poëtam primus Boeckhius demonstravit, et ipsa hac comparatione redarguitur Bergkii opinio, qui eum ad bellum contra Thrasydaeum et Agrigentinos gestum rettulit[1]; nam non auxilio vocatus hoc bellum Hiero suscepit, sed a Thrasydaeo temerario impetu lacessitus[2]. In sequentibus verbis omnes fere editores offensi sunt verbo μεταλλάσσοντας, et plerisque placuit quod pro eo Wakefieldius proposuit μετανάσσοντας, i. e. μετοικίσοντας. Sed quanquam aoristus ἔνασσα (Pyth. V 67) a verbo ναίω deductus invenitur, futuri tamen νάσσω nulla usquam est memoria. Bergkius μετανάξοντας scripsit, quod compositum alibi non exstat. Inesse videtur velle in eo vim secum reducendi, quam tamen num habere possit valde dubium est. Neque enim novi dupliciter composita in quibus μετά 'secum' valeat, et simplex μετάγειν 'in alium locum ducere' est, secundum quod μετανάγειν 'alio reducere' significaret. Sed reduci Troiam Philocteta non poterat, quia eo nondum pervenerat. Melius esset Kayseri μεταβάσοντας (cf. Ol. I 42), si revera quicquam esset mutandum. Mihi

---

[1] Ad hanc opinionem confugere Bergkius coactus est Pythiadum quam contra Boeckhium proposuit computatione, quam meo quidem iudicio plane confutavit Leopoldus Schmidtius duabus commentationibus, quarum prior (Zur Chronologie der Pindarischen Gedichte) in Comment. phil. in hon. Th. Mommseni p. 48 sqq., altera (Supplementum quaestionis de Pindaricorum carminum chronologia) in Ind. lect. Marburg. 1880/81 prodiit.

[2] Cf. L. Schmidt. in prioris commentationis p 51 sq. Holmii Hist. Sicil. I p. 242.

enim *μεταλλάσσοντας* videtur retinendum esse. Nam hoc verbum transponendi vim habet etiam in Plat. Tim. 19a, ubi *τοὺς δὲ παρὰ σφίσιν ἀναξίους εἰς τὴν τῶν ἐπανιόντων χώραν μεταλλάττειν* Stallbaumius vertit 'eos autem qui apud se indigni sint in locum eorum qui iam rursus ex inferioribus civium ordinibus escendant transferre'. Ut enim apud Platonem loci significari mutationem eo indicatur quod additum est in quem locum mutatio fiat (*εἰς τὴν τῶν ἐπανιόντων χώραν*), sic apud Pindarum idem addito *Λαμνόθεν*, i. e. loco unde mutatio fiat, denotatur. De praesentis autem participio conatum exprimente cf. quae exposui in Quaestt. gram. ad Thuc. pertin. p. 17. Sane Troiam eos Philoctetam traducturos esse nominatim non dictum est; sed hoc quivis ex rerum cognitione intellegebat, idemque etiam in Wakefieldii Bergkii Kayseri coniecturis cogitando supplendum est.

Concludit poëta ea quae de Hierone dixit v. 56 sq. his verbis:

οὕτω δ' Ἱέρωνι θεὸς ὀρθωτὴρ πέλοι
τὸν προσέρποντα χρόνον, ὧν ἔραται καιρὸν διδούς.

Ubi *οὕτω* Boeckhius ita ad proxime praegressa respicere putavit ut hic evaderet sententiarum conexus: 'ut Philocteta quamvis invalidus Troiam cepit, sic tibi quoque deus det ut iis quae appetis potiare'. Sed Philoctetae comparatio ad ea spectat quae Hiero iam perpetravit, non ad ea quae ut futuro tempore ei contingant poëta optat. Comprehenditur potius tota superior optatio quae a verbis *εἰ γὰρ ὁ πᾶς χρόνος* (v. 46) incipit. Itaque *οὕτω* 'sic ut modo dixi' valet, et *οὕτω δέ* hic ut in Ol. II 35. Pyth. IX 117 idem fere est atque *οὕτω δή*, ut saepius apud Pindarum *δέ* propius ad *δή* particulae significationem accedit.

Subsequuntur in v. 58 sqq. haec:

Μοῖσα, καὶ πὰρ Δεινομένει κελαδῆσαι
πίθεό μοι ποινὰν τεθρίππων· χάρμα δ' οὐκ ἀλλότριον νικαφορία πατέρος.
ἄγ' ἔπειτ' Αἴτνας βασιλεῖ φίλιον ἐξεύρωμεν ὕμνον.

Quorum sensum Dissenus hunc esse putavit: 'mente et cogitatione eamus nunc etiam Aetnam ad Dinomenis domum'; carmen enim Syracusis cantatum esse in aula Hieronis. Sed hoc modo poëtae verbis aliena de suo addit; nam mente tantum et cogitatione rem fieri debere poëta non dicit. Quare recte Boeckhius statuit hunc hymnum Aetnae apud Dinomenem[1] cantandum fuisse. Minus recte idem *καί* interpretatus est.

---

[1] Non perspicio cur Leop. Schmidtius, qui et ipse carmen Aetnae cantandum fuisse existimat, malit 'adversus Dinomenem (dem Deinomenes gegenüber)' interpretari (Pindars

Respicitur procul dubio ad carmen Pythicum secundum, quo iam quattuor fere annis ante ipsis Syracusis, ut prima eius verba ostendunt, curulis victoria Hieronis, quanquam non Delphis reportata, celebrata est; nunc alia talis victoria etiam Aetnae celebranda est. Deinde ποινάν non licet meritam laudem intellegere (neque enim in sequentibus laudatur victoria), sed poëta Musam invocat ut canat quod pro praemio victoriae sit, quo victoriam tanquam remuneretur. Cum autem ad excogitandum hunc ipsum cantum, qui gratus sit Dinomeni, verbis ἄγ' ἔπειτ' . . . ἐξεύρωμεν ὕμνον se ipsum Pindarus adhortetur, ἔπειτα ibi 'igitur' significat, ut in Isthm. VI 20. Hom. Il. V 812. Soph. El. 345.

V. 67 sq. Ζεῦ τέλει', αἰεὶ δὲ τοιαύταν Ἀμένα παρ' ὕδωρ
αἶσαν ἀστοῖς καὶ βασιλεῦσιν διακρίνειν ἔτυμον λόγον ἀνθρώπων.

Ad hunc locum prolati sunt virorum doctorum diversissimi interpretandi et emendandi conatus. Emendationem incertam esse Bergkius concedit, ipse suspicatus scribendum esse δίδοι κραίνειν τ' ἔτυμον λόγον ἀνθρώπων vel δίδοι, κραίνων ἐτ. λογ. ἀνθρ. Sed sic qui sit λόγος ἀνθρώπων, cum antea non memoratum vel indicatum sit, in obscuro est; nec opus est verum sermonem perficere, quoniam, si perfectionem non habet, verus non est. Etiam minus sententiae satisfaciunt aliorum mutationes a Bergkio allatae. Sed haud scio an in traditis verbis acquiescere liceat, si ad Boeckhii interpretationem redeamus eamque causis idoneis stabiliamus. Utique enim discedendum est a Disseni et Metzgeri rationibus, quibus loci difficultas nullo modo expeditur. Ille enim τοιαύταν αἶσαν subiectum, ἔτυμον λόγον obiectum esse opinatus poëtam hoc dicere vult: 'utinam semper tali fortuna praeclara confirmentur sermones hominum, ut nunc meas laudes res ipsa confirmat', in quibus non solum postrema verba ex arbitrio poëtae sententiae addita sunt, sed etiam qui sermones quaeque laudes dicantur parum perspicuum est. Alter autem sic interpretatur quasi scriptum sit αἰεὶ δὲ δίδοι τοιαύταν . . . αἶσαν . . . ὥστε νιν ἔτυμον διακρίνειν λόγον ἀνθρώπων (ut eam veram esse declaret sermo hominum). Sed τοιαύταν non verbis subsequentibus circumscribitur, sed ad superiora respicit (nam τοιαύταν αἶσαν poëta dicit constantem ac perpetuam Doricorum institutorum observationem

---

Leben u. Dichtung p. 251), praesertim cum loci ab eo allati (Ol. VI 10. Pyth. II 72) ad demonstrandam hanc praepositionis παρά vim non valeant. Nam ibi ad significandum hominum iudicium adhibetur.

modo memoratam), et δίδοι a Pindari verbis abest. Boeckhius igitur sic interpretatur: 'precor verus hominum sermo semper talem fortunam Aetnae adiudicet et decernat'. Ita poëta a Iove petit ut Aetnaei non per speciem tantum, sed revera instituta Dorica observent atque ex hac observantia veram apud homines famam adipiscantur. Quae sententia cum apta et congruens esse videatur, unum restat ut quaeratur num revera διακρίνειν eam vim habere possit quam ei Boeckhius tribuit nec tamen tribui posse satis demonstravit. Certe simplex κρίνειν 'iudicando alicui aliquid tribuere' significat in his verbis, quae Pyth. VIII 83 sq. leguntur: τοῖς οὔτε νόστος ὁμῶς ἐπαλπνὸς ἐν Πυθιάδι ἐκρίθη. Idem igitur διακρίνειν cum graviore pondere videtur exprimere, quoniam διά in multis compositis verbis simplicium vim intendit, velut, cum γιγνώσκω sit 'noscere', διαγιγνώσκω est 'pernoscere'. Quare nihil videtur obstare quin διακρίνειν intellegamus 'decernendo attribuere'.

In transcursu commemoro in v. 71 aptissimum mihi videri ἅ μ ε ρ ο ς, quod pro ἅμερον Hartungius reposuit, et in v. 74 scribendum esse ἐν πόντῳ β ά λ ε ν ἡλικίαν, i. e. πόντῳ ἐνέβαλεν ἡλικίαν. Neque enim medium satis excusatur locutionibus κρηπῖδα βάλλεσθαι (Pyth. IV 138. VII 4. fragm. 77. 101 Bergk.) et ἄγκυραν βάλλεσθαι (Isthm. V 13), quae 'fundamentum, ancoram s i b i iacere' significant. In codd. primum βάλεν leviter in βάλετ' corruptum, deinde hoc in βάλεθ' correctum est.

Levioribus his graviora adiungantur. In v. 75 sqq. enim haec in plerisque codd. tradita habemus: αἱρέομαι

> πὰρ μὲν Σαλαμῖνος Ἀθαναίων χάριν
> μισθόν, ἐν Σπάρτᾳ δ' ἐρέω τὰν πρὸ Κιθαιρῶνος μάχαν,
> ταῖσι Μῆδοι κάμον ἀγκυλότοξοι,
> παρὰ δὲ τὰν εὔυδρον ἀκτὰν Ἱμέρα παίδεσσιν ὕμνον Δεινομένεος τελέσαις,
> τὸν ἐδέξαντ' ἀμφ' ἀρετᾷ, πολεμίων ἀνδρῶν καμόντων.

Cum in paucioribus codd. ἐρέομαι vel αἰρέομαι inveniatur, metri causa illud recepit Mommsenus. Sed indicativus ἐρέομαι alibi non exstat, neque eius sententia, sive 'dicere' valet sive 'interrogare', convenit. Itaque metri necessitate ad Dawesii coniecturam ἀ ρ έ ο μ α ι ducimur inde a Boeckhio reliquis editoribus probatam. Eadem necessitate cum duobus antiquioribus libris τὰν ante πρὸ Κιθαιρῶνος eiciendum est interpretandi causa olim superscriptum. Post Μῆδοι, quod et ipsum contra metrum est, Triclinius μὲν voculam inseruit hoc loco inanem; Μήδειοι autem cum Moscho-

pulo duo tantum libri vetustiores habent. Neque tamen Bergkium laudo audacioribus coniecturis hic indulgentem, cum ipsam *Μήδειοι* formam iam Steph. Byz. s. v. *Μηδία* agnoscat. Iam vero dissentiunt cui verbo adiungendum sit participium *τελέσαις*. Sed sive ad *ἀρέομαι χάριν μισθόν* id applicamus sive ad *ἐρέω*, est in quo offendamus[1]. Illud enim non videtur fieri posse post interpositam sententiam *ἐν Σπάρτᾳ δ' ἐρέω . . . ἀγκυλότοξοι*; si vero *ἐρέω* ad *τελέσαις* repetitur, hoc languidum est atque inane, cum dicere carmina omnino non possimus, nisi ea perfecerimus. Accedit quod ipsum *ἐρέω* sententiarum aequabilitatem et concentum videtur turbare. Nam sic poëta se in ipsa Sparta dicit pugnam Plataeensem praedicaturum esse, quod perinde Thebis facere poterat quodque non magis necessarium erat quam ut ipsis Athenis Salaminiam, Syracusis Himerensem victoriam caneret. Quare duabus reliquis victoriarum praedicationibus accommodatum est ad *ἐν Σπάρτᾳ* cogitando supplere *ἀρέομαι χάριν μισθόν*, quod tamen fieri nequit, nisi pro *ἐρέω* participium aliquod substituitur. Hoc idem in causa est cur minus placeat Bergkii coniectura *τελέσαιμ', ὅν*; nam sic *ἐρέω* manet et *ἐν Σπάρτᾳ* cum hoc iungendum est. Sententiarum igitur quam ostendimus cohaerentiam cum iam intellexisset Boeckhius, *ἐρέω* in *ἐρέων* mutavit; sed futuri participium nullo modo ferri posse et *λέγων* vel *εἰπών* dicendum fuisse suo iure contendit Schneidewinus. Scite igitur Christius pro *δ' ἐρέω* restituit *δὲ κλέων*. Quo facto *τελέσαις* quoque referre licet ad *ἀρέομαι χάριν μισθόν*. Sed ne sic quidem omnis sublata est difficultas. Perfecturus enim demum est propter victoriam Himerensem hymnum poëta Dinomenis filiis; quomodo igitur eum dici possunt iam accepisse? Neque aliter res se haberet, si Bergkii coniecturam *τελέσαιμ', ὅν* probaremus; poëta enim optare non potest ut illis hymnum perficiat quem iam acceperunt. Neque quicquam prodest quod Dissenus, ut suam interpretationem 'ad Himeram quem meruere' tueatur, adnotat *ἐδέξαντο* esse 'tulerunt divinitus concessum', conferens Nem. II 4; nam ne hic quidem *δέδεκται* aliud quicquam sonat nisi 'nactus est', et si hymnum tulerunt, iam habent. Omnino nullo loco demonstrari potest *δέχεσθαι* vim merendi habere. Ceterum *παρὰ τὰν ἀκτὰν Ἱμέρα* significat 'propter (cf. *κενεὰν παρὰ δίαιταν* Ol. II 65) pugnam ad Himerae ripam commissam' et cum verbis *ὕμνον τελέσαις* iungendum est. His de causis ego poëtae reddendum esse puto *τὸν ἐπράξαντ'*: q u e m s i b i e f f e c e r u n t

---

[1] Taceo de inepta Disseni interpretatione, quam missam fecit Schneidewinus.

(sich erwirkt haben). Cf. Pyth. III 115 *παύροις δὲ πράξασθ' εὐμαρές*, ubi item *πράξασθαι* nihil aliud est quam 'efficere ut aliquid sibi contingat'. Itaque emendate totus locus sic scribitur: *ἀρέομαι*

πὰρ μὲν Σαλαμῖνος Ἀθαναίων χάριν
μισθόν, ἐν Σπάρτᾳ δὲ κλέων πρὸ Κιθαιρῶνος μάχαν,
ταῖσι Μήδειοι κάμον ἀγκυλότοξοι,
παρὰ δὲ τὰν εὔυδρον ἀκτὰν Ἱμέρα παίδεσσιν ὕμνον Δεινομένεος τελέσαις,
τὸν ἐπράξαντ' ἀμφ' ἀρετᾷ, πολεμίων ἀνδρῶν καμόντων.

Iam si totam sententiam respicimus, poëta quodammodo pollicetur se pariter carminibus celebraturum esse pugnas ad Salamina Plataeas Himeram factas atque inde exspectat ut victores sibi gratiam habituri sint, eaque re Himerensem victoriam pari laude dignam esse declarat atque Salaminiam et Plataeensem.

Postremo loco breviter dicendum videtur esse de v. 92 verbis *μὴ δολωθῇς, ὦ φίλος, εὐτραπέλοις κέρδεσσι.* Boeckhio enim auctore plerique hoc dictum esse putant de artibus facetis et astutiis adulatorum aulicorum, quibus rex admoneatur ne se decipi patiatur. Sed hi adulatores ne tenuissimo quidem indicio sunt designati, et propter *μὴ κάμνε λίαν δαπάναις,* quod proxime praecessit, multo magis in promptu est de quaestus cupiditate cogitare. Attamen cum apud Homerum *κέρδεα* sint fraudes dolosae talesque aptissime *εὐτράπελα* dicantur, ampliore sensu hoc loco sic coniunctim appellari mihi videntur callida fraus et quaestus cupiditas, quippe quae contrariae sint tribus illis virtutibus omnibus quas antea Hieroni tanquam regias poëta commendavit, iustitiae veritati liberalitati. Ab hac igitur callida improbitate his virtutibus opposita ut abstineat regem Pindarus hortatur, ne defraudetur gloriosa apud posteros fama, quae sola hominum defunctorum vitam rerum scriptoribus et poëtis celebrandam tradat. Nam in hanc sententiam grave hoc dictum continuo poëta adiungit: *ὀπιθόμβροτον αὔχημα δόξας*

οἶον ἀποιχομένων ἀνδρῶν δίαιταν μανύει
καὶ λογίοις καὶ ἀοιδοῖς.